

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De fide sine operibus. cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

¶ De fide Liber I.

7

catis Iudæis atq; Græcis, Ch̄m dei ȳtutem & dei sa-
pientiam . Sed post Christum quid q̄so beatius matre
Christi: & ipsa tñ ideo beata p̄dicas, quia de nuntio si-
bi cælitus allato nihil dubitauit, sic enim, ss. p̄ os Eli-
zabet ei⁹ cognatæ ad eam dixit: Beata q̄ credidisti, q̄ni-
am pficiens ea q̄ dicit a sunt tibi a dño. Porro ne qs q̄si
ppinqua ad ppinq̄ dictum cauileſ, audiat ip̄m dñm di-
centem: Amen amen dico vobis, qa q̄ ȳbum meum au-
dit, & credit ei q̄ misit me, habet vitam æternam, & in
iudicium nō venit, sed transit a morte in vitam. Vñ e-
tiam latroni in cruce credenti atq; confidenti, respōdit
Hodie mecum eris in paradiſo . In paradiſo vt iç̄ oīm
bonorum pleno, & nulli vnq̄ obnoxio molestiæ , nulli
querelæ, cū iteq̄ ȳitas dei dicat. Qui venit ad me, non
esuriet: & q̄ credit in me, non sitier in æternū, & paulo
post, Hæc ē, ingt, volūtas patris mei, q̄ misit me, vt c̄is Iohan. 6
q̄ videt filium, et credit in eum, habeat vitam æternam:
& ego resuscitabo eū in nouissimo die, vt videlicet nō
solum in anima beatus sit, sed etiā in corpore. Atq; vt
se esse filium hunc, in quem credere oporteat, ostende-
ret, postea intulit: Qui credit in me , habet vitā æter-
nam. Præsentis temporis ȳbo vtitur, vt credentes , &
secundum ea quæ credunt, viuentes, iam beatæ æterni-
tati prædestinatos monstraret. Ne autem minus recte
credendo , ab ipsa patris diuinitate filium separemus
Arrianæ impietati assentientes , alibi idem ad patrem
cōuersus, dixit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum deum v̄bz, & quem misisti Iesum Chri-
stum. Pater igitur & filius, & vtricq; communis. ss. so-
lius ȳus deus est, trinus in psonis, vnum in substantia. Et
si hoc credere vita æterna est,, pfecto q̄ sanctæ trinita-
tis fidē non tenent, licet vnum deum, vnum dñm & cre-
dant & p̄dicent, vitam æternam habere non poterunt

Luc. 1.

Iohan. 5.

Iohan. 6

Iohan. 17.

¶ De fide sine operibus. Ca. III.

V autem fides nostra ex omni parte perfecta sit,
operib. compleatur iustitiæ. Ut quid enim euangeliō
credimus , si scđm euangeliū nō viuimus?

A 4

Quid Christum confitemur, si præceptis eius non obedimus? Talis fides iuxta Iacobi apostoli sententiam, mortua est. Mortui sunt ergo illi, qui quod verbis credere se aiunt, factis non probant. De quibus dominus

Matth. 23. ait: Dicunt & non faciunt. Illis utique comparandi, qui

Matth. 27. Christum spinis coronatum, genu flexo adorabat, non ut eum venerarentur, sed ut deriderent. Vel etiam illi simillimi, qui eidem sicut in vino quidem porrigebant, sed felle mixtum. Quare autem uine vinum illud gustauit, & bibere noluit? quia licet diligit confitentium fidem, fidei tamen præceptis aduersantes non recipit.

Matth. 22. Quamvis enim aliquis ad nuptias fidei invitatus veniat, vestem tamen nuptialem, hoc est, virtutum ornamenta non habens, de ædibus eliminatur, & (quod deterius est) manibus pedibusque ligatis, proiecitur in tenebras exteriores; ibi erit (inquit) fletus & stridor dentium, ut discas eos damnandos esse, qui vel per os vel malitiæ beatitudine fidelibus promissa se fecerint

Matth. 25. indignos. Quos etiam cum fatuis virginibus in euangelio conferre possumus. Virginitatem quippe fideli habent, quia sincere credunt: sed piæ rectæque actionis oleum, quo fides ipsa illustratur, non habent. Frustra itaque clamant, Domine domine, aperi nobis, ipso domino aditum præcludente, ac respondentem: Amen amen dico vobis, nescio vos. Quid quæso infelicius, quid calamitosius, & ab illo ignorari, qui solus nouit omnia? Illos autem nescire dicitur deus, quos a se rejecit, & procul a beatorum repellit consortio. Vnde ait: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum: se d qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Nemo itaque sibi de sola fide plaudat: iustitiam iungat fidei, si vitæ & ternæ præmia consequi desiderat: alioquin ne miracula quidem aliquando fecisse illi proderit, a quo abest iustitia. Ideo subditur, Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo dæmonia eleimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nūquam nō ouī vos, Discedi

Matth. 7

te a me omnes qui operamini iniquitatem. Hoc idem Apostoli verba docent, dicentis. Si fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ceterum hoc quoque mali, credentibus & non operantibus contingit, quod cum se sc̄ otio dederint, etiam fide deficere incipient. Hoc in illa fici arbo re apparuit, quae quoniam fructibus carebat, malcedi cto domini arefacta, etiam folia quae sola habebat amisit. Exiccato autem omni humore, nulli usui apta nisi ignibus fuit. Ita nonnulli qui Christiano censentur nomine, cum se se, iugnauia corruperint, si quid Christianitatis conceperant, totum consumunt, æternisque ardoribus digni efficiuntur, cum infidelibus cruciandi, nisi penitentiam egerint, & ante vitam correxerint, quam iusti iudicis sententiam subire cogantur. Sed si neque fides actionibus bonis carens a morte liberat, quanto damnabiliorem putabimus perfidiam.

1. Cor. 11.

Matth. 21.

¶ De perfidia. Cap. III.

Nunc ergo quam perniciosum sit, ab euangelica veritate dissentire, ipsorum euangeliorum testimonijs probare conabimur, ut cum aduersariorum mens pertinacior nullis argumentis flecti queat, saltem nostri ea secum considerantes, in proposito fidelis professionis intentius perseverent, fortiusque stabiliantur. Qui non crediderit, inquit, condemnabitur ne videlicet bona consequatur fidelibus promissa, sed pena infidelibus proposita puniatur. Pœna autem vel maxima pars erit, meminisse æternæ beatitudinis quam amiserunt, minas domini contemnendo, dicentes. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum, & iterum. Qui negaverit me (inquit) coram hominibus, negabitur coram angelis dei. Hoc ipsum est, quod de illis qui in uitati venire neglexerant, dixit. Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Et cum summi boni participes esse nullo modo possunt increduli, addit-

Marc. 16.

Luc. 9.

Luc. 12.

Luc. 24.

A S